
NYPL RESEARCH LIBRARIES
3 3433 06913567 5





INDEX
CODICVM MANVSCRIPTORVM
GRAECORVM
BIBLIOTHECARVM MOSQVENSIVM
SANCTISSIMAE SYNODI ECCLESIAE ORTHODOXAE
GRAECO-ROSSICAE.

EDIDIT

CHRISTIANVS FRIDERICVS MATTHAEI,

Literarum humaniorum in Vniuersitate Caesarea Mosquensi Professor Publicus Ordinarius, Academiae Electoralis Moguntinae Scientiarum vtilium, Societatis Academicae Principalis Hassiacae, Latinae Ienensis et Liberae Rossicae Vniuersitatis Mosquensis Socius.






PETROPOLI,

Typis Academiae Scientiarum

MDCCLXXX.


232301B

ILLVSTRISSIMO

ATQVE

EXCELLENTISSIMO

DOMINO DOMINO

SERGIO GERASIMIDI

A

DOMASCHNEW

SACRAE CAESAREAE MAIESTATIS

OMNIVM ROSSIARVM

CAMERARIO ACTVALI,

ACADEMIAE SCIENTIARVM PETROPOLITANAE

DIRECTORI

etc. etc.

1779 /

VIRO
VIRTVTE, PRVDENTIA
ET
MERITIS
ERGA
PATRIAM
LONGE OMNIVM CLARISSIMO.
FAVTORI,
PATRONO;
PROPAGATORI
LITERARVM OMNISQVE LIBERALIORIS
DISCIPLINAE
OPTIMO
MAXIMO.

ILLVSTRIS-

ILLVSTRISSIME

ATQVE

EXCELLENTISSIME DOMINE,

FAVTOR ET PATRONE MAXIME COLENDE,

Cum literarum artiumque omnium ea sit natura et conditio, vt cultae et adiutae in dies noua incrementa capiant, magisque efflorescant et fructus ferant; neglectae autem & contemtae decrescant et vilescant, ac tandem prorsus obsolescant atque euanescant: mirum sane videri nequit, si, qui earum studio tenentur, easque publice profitentur, viros illustres et potentes adeant, eorumque auxilium et patrocinium quaerant et implorent. Iam si ex omnibus eligendus esset, cuius consilium, opem et auctoritatem in literarum commodum efflagitare vellem, neminem reperire possem, qui Te magis esset ad illud negotium aptior, paratior et instructior. Nec enim ipse tantum per Te naturae indole, ingeniique acumine sapis, optimarumque artium studio et disciplina excellis, sed multis exemplis, etiam docuisti, Te in aliis etiam literarum studium et doctrinae laudem probare, omnique cura id agere,

dicat, non contentum esse copiis, a maioribus suis summo studio et sumtibus partis, sed e remotissimis locis noua etiam literarum adiumenta et ornamenta conquirere, per se apparet, iustum esse, vt Rossia praesentibus certe opibus ad literarum commodum utatur. Quanquam nec hoc quidem a Rossis negligendum puto, vt, repiriatur, qui iter in Graeciam inuestigandorum et emendorum veterum librorum causa suscipere velit, opem ei suam et auxilium praestent, praesertim cum bibliotheca Academiae Petropolitanae his ornamentis fere prorsus careat. Nec hoc consilium meum nouum et ante hunc diem inauditum videri debet. Dudum enim ante me Schiada, Vir Doctissimus, in epistola ad Petrum Magnum, quam hic in fine adieci hoc optauit et suasit. Memini quoque tum, cum huc vocatus iter adire vellem, Lipsiae audire, ab Orlouio, Viro Illustrissimo, negotium datum esse Ernestio, Summo Viro, vt virum graece doctum ad classem Rossicam, quae tum in Graecia erat, mitteret, qui veteres inscriptiones notaret et in vnum colligeret. Electus erat Reitzius, Professor Lipsiensis, elegantis doctrinae vir. Sed consilium istud tum temporis, nescio, quo fato, fuit irritum. Ipse quoque postea, cum huc venissem, saepe miratus sum nemini in tanto exercitu in mentem venisse, harum etiam rerum curam gerere, praesertim in tanta opportunitate, cum facile vnus vir doctus cum paucis comitibus tuto monasteria graeca adire et inde optimos quosque libros colligere potuisset. Vides ergo, Illustrissime atque Excellentissime Domine, quot opportunitates habeas, de literis antiquis optime merendi, nomenque Tuum ad posterorum memo-

memoriam propagandi, ſi Imperatricis Sapientiſſimae et literarum Amantiſſimae potentia, opibus et gratia; quam ſaepenumero Tibi ſignificauit, vti velis. Sed redeo ad codices manuſcriptos, qui iam hic ſervantur. Legiſti haud dubie in pluribus libris, quanto ſtudio et fauore nuper in Anglia Kennikotti opus ſit adiutum, ad quod exornandum Imperatrix Auguſtiſſima, quinque Reges Nobiliſſimi et magnus Clariſſimorum Virorum numerus impenſas praebuerunt. Simile opus, eiuſdem auctoritatis et vtilitatis, ac haud ſcio, an vtilius, ex his bibliothecis edi poſſet, ſi ex tot codicibus vetuſtiſſimis et diligentiſſime ſcriptis noua Noui Teſtamenti Graeci editio cum ſanctorum patrum Commentariis copioſiſſimis & doctiſſimis viri docti diligentia et fide curaretur. Id etiam iam ante me Schiada optauit, et Petro Illi Magno haud improbabilibus argumentis ſuaſit. Spem ergo habeo maximam, cum pleraque, quae Petro Magno imperante votis expetita eſſent, Catharina Magna imperante felicem euentum habuerint, harum etiam rerum exoptatum fore finem. Quid iam dicam de Viris Doctis extra Roſſiam, qui iam dudum mirantur, cur, cum Theologi, Mathematici, Phyſici, Medici, in lingua vernacula etiam Poetae et Oratores Summi hic reperiantur, literarum graecarum latinarumque ſtudium, a quibus tamen, cum literae in Europa rurſus efflorеſcerent, Itali, Franco-Galli, Angli, Germani et Batavi diſcendi initium faciendum putarunt, propemodum prorſus negligatur et contemtui habeatur? Nec quiſquam putet, haec ita a me pro tempore literarum, quas profiteor, nimio et vano ſtudio fingi. Saepe enim Viri Docti id non

 ſolum

ſolum mihi per epiſtolas ſignificarunt, ſed et in relationibus publicis notarunt. Quos inter Valckenarius, idoneus harum rerum iudex, memorari debet, qui, quid de his ſentiret, in literis ad Iuſſupouium Principem, quae Theocrito adiectae ſunt, aperte et palam declarauit. Sed iam finem faciam. Video enim me, dum literarum cauſam apud Te ago, epiſtolae terminos tranſiiſſe. Illud tantum hic palam polliceor et ſpondeo, ſi in me quandam vel voluntatem, vel rationem his literis inſeruiendi cognouiſti, me, quamdiu vita et valetudo mea permiſerit, nunquam, quicquid oneris et laboris, cui ferendo par ſim, literarum cauſa a Te imponetur, moleſte laturum aut detrectaturum eſſe. Vale, mihique faue.

ILLVSTRISSIMI ATQVE EXCELLENTISSIMI
NOMINIS TVI

Moſquae
d. XXIII. Octobr.
1779.

Studioſiſſimus
CHRISTIANVS FRIDERICVS MATTHAEI.



PRAEFATIO.
LECTORI BENEVOLO ET DOCTO
S. P. D.
CHR. FR. MATTHAEI.





Quinquaginta amplius anni poſt editum ab Athanaſio Schiada catalogum elapſi fuerant, cum mihi ſuadente Eugenio, Slabinii et Cherſonis Archiepiſcopo, comprobantibus Sanctiſſimae Synodi Sociis, a Gregorio Alexandride Potemkin, Principe Sereniſſimo graecarumque literarum Amantiſſimo, vt diligentiorem codicum Moſquenſium recenſionem curarem, negotium daretur. Alacriter tum libenterque prudentiſſimo conſilio Tanti Viri ob

temperaui, breuique tempore post hic Moſquae primam Notitiae Codicum ſectionem anno 1770. in forma maiori edidi. Nec enim imparatus ad illud negotium acceſſeram. Iam enim antea a Samuele, Roſtouienſi et Iaroslauienſi Archiepiſcopo, cui diligentioris catalogi conficiendi cura demandata fuerat, monitus fueram, vt iſtum laborem in me recipere vellem. Poſtea, cum ſemel iſtud opus inchoaſſem, non intermiſi prius, hortantibus praeſertim atque comprobantibus grauiſſimis viris, quam ad finem perduxiſſem. Ac dudum fortaſſe omnia literarum formulis expreſſa eſſent, niſi Potemkini Principis reditus Petropolim et alia eius negotia grauiſſima impediuiſſent eum, quo minus huius etiam rei rationem haberet. Interim redux in patriam factus Nicolaus Boriſides Iuſſupow, Princeps, non minus Ruhnkenii, Valckenarii, Villoiſoni multorumque aliorum doctiſſimorum virorum amicitia, quam virtute, doctrina et nobilitate ſua clarus, in hanc vrbem venerat, et codicum tractandorum peritiam Lugduni Batauorum nactus ad has Moſquenſes bibliothecas acceſſerat. Is cum ex catalogo, quem ibi repererat, qui codices ibi ſeruarentur diſcere non potuiſſet, ex bibliothecario tamen audierat, me non ſolum diligentiorem iſtorum codicum recenſionem iam edere inſtituiſſe, ſed penitus etiam, quid quiſque codex contineret, perſpectum habere. Continuo ergo me ad ſe arceſſiuit et facile humanitate ſua mihi perſuaſit, vt interim in ſuos vſus ex maiori opere, quod iam tum abſolueram, eiusmodi catalogum conficerem, qui breuitate Schiadae opuſculum aequaret, diligentia ſuperaret. Hanc ergo originem hic libellus, quem nunc in lucem prodire iuſſi, habuit. Eius vero edendi nunquam conſilium cepiſſem, niſi grauiſſimis argumentis motus fuiſſem.

Pri-

Primum enim sciebam, hoc institutum meum nec ipsius Imperatricis Augustissimae destitutum iri comprobatione. Non solum enim omnis generis artibus disciplinisque impensissime fauet, sed iussit etiam, vt reconditi bibliothecarum tabulariorumque publicorum thesauri ad communem vsum illustrandamque veterem Rossici imperii historiam idoneis et fide dignis paterent hominibus. Tum volebam hoc qualecunque grati animi mei aduersus Sanctissimae Synodi Socios esse documentum, qui mihi ita humaniter aditum ad bibliothecas suas concessissent. Deinde multorum doctissimorum virorum voluntati desiderioque ex parte saltem satisfaciendum putabam, qui me per epistolas rogarant, quid caussae esset, cur ille a me inchoatus catalogus intermitteretur, quaeque hic κειμήλια occulta laterent. Denique hunc breuem codicum indicem hanc certe habiturum vtilitatem sperabam, vt quilibet, quid de maiori opere sperandum esset, praeuidere posset. Nouissime etiam amicorum quorundam prudentissimum accedebat consilium, qui mihi suadebant vt huiusmodi libello Sergio Gerasimidi a Domaschnew, Academiae Scientiarum Petropolitanae Directori, Viro Illustrissimo atque Excellentissimo, qui summo bonarum literarum studio tenetur earumque incrementa, qua potest, vigilantia, diligentia, consilio et ope curat, tentarem innotescere. Facile enim fieri posse, aiebant, si is meam literis inseruiendi voluntatem cognouisset, vt eius auctoritate et auxilio adiutus de arte critica, vt vocant, quae publicandis, explicandis atque emendandis auctorum veterum libris cernitur et ex codicibus manuscriptis sua quasi alimenta habet, melius mereri possem. Ac profecto iam praeuideo, si mihi Tanti Viri gratiam inire contigerit, me postea facilius multo maiora praestiturum esse, quam quae

quia in medio codicis, aut in fine multoties sunt exscripta alia opera, quae in principio codicis non sunt notata. Et sane saepe, dum ego illos codices retractarem, deprehendi Virum Doctissimum, non ignorantia, sed properatione, et in notandis codicum argumentis, et in diiudicanda eorum aetate a vero aberrasse. Quae enim sint illa Theophanis Caesariensis commentaria in Lucam quae pag. 29. recenset et anno post Christum natum 1022. scripta tradit? Quomodo etiam non erratum sit in primo codice euangeliorum, quem anno post Christum natum 588. post orbem conditum 6066. scriptum refert? Mitto iam Anonymum, cuius scriptus seruatur in bibliotheca catalogus graeco-rossicus. Quis enim non rideat, cum ibi legat, *Creilli comoediae* et *Aristophanes de ranis?* Pudet plura eius generis commemorare. Humilis enim abiectique ingenii, aliorum erroribus, praesertim ita puerilibus, insultare. Praestat ergo reliqua persequi. Ac ante omnia monere debeo, quod certis argumentis constat, codices manuscriptos, qui nunc in vtraque bibliotheca Synodali seruantur, aut omnes, aut plerosque, Imperante (*) Alexio Michaelide, Petri M. patre suadente Nicone, Patriarcha Mosquensi et totius Rossiae, per Arsenium Hieromonachum ex monasteriis montis Athus huc translatos esse. Quingentos omnino tum temporis emtos esse, Schiada, vt in dedicatione tradit, audierat, pauciores vero, examine facto, reppererat. Inter eos praestant ceteris omnibus et numero et vetustate et diligentia scribarum codices Noui Testamenti cum

com-

(*) Vide infra dedicationem Athanasii Schiadae et Frommanni, Professoris, quondam Mosquensis dissertationem pag. 11. quam inscripsit, *Stricturae de statu scientiarum et artium in imperio Rossico*, quaeque Tubingae literis Fuesianis anno 1766. in quarto prodiit.

commentariis ineditis, quos nos omnes sedulo et diligenter comparauimus. Commentariorum omnium longe praestantissimus est ille, graece nondum editus, Euthymii (*) Zigabeni. Is ex Chrysostomo quidem ceterisque patribus graecis conflatus est. Multum vero vtilitatis et commendationis accessit ab ingenio, doctrina et elegantia Euthymii. Hos commentarios iam paratos habeo ad edendum, nec quicquam editionem impedit, quam quod idoneum typographeum et bibliopola, qui impensas facere velit, desunt. Secundum locum post codices Noui Testamenti versio LXX. interpretum cum catenis patrum obtinet. In eis est codex vnus Sec. IX. qui in tertio et quarto libro Regum valde ab editis libris differt. Psalmorum multi et vetustissimi codices cum prolegomenis, catenis patrum, glossariis et lectionibus variantibus Aquilae, Symmachi, Theodotionis reliquorumque interpretum hic inueniuntur. Ex scriptis Sanctorum patrum inprimis magnus numerus codicum Chrysostomi, Gregorii Nazianzeni et Basilii M. se offerunt. Gregorii adsunt quoque interpretes graeci varii cum prorsus ignoti, tum nondum editi. Collectionum canonum codices non pauci reperiuntur. Adsunt quoque variorum Imperatorum (**) Nouellae, nec non excerpta ex Digestis et Institutis. Inter libros medicos notabiles sunt Galenus, Alexander Trallianus, Rhazes, Anonymus, (***) cuius excerpta

(*) Huius specimen edidi in lectionibus Mosquensibus Vol. I. pag. 7. seqq. quae Lipsiae prodierunt 1779. 8 apud Schwickertum.

(**) Vide inprimis recensionem Codicis XXXIII. in Notitia Codd. MSS. Mosquensium, pag. 56 — 58.

(***) Vide lectiones Mosquenses a me editas Lipsiae 1779. Vol. I. pag. 49. seqq.

cerpta iam edidi, et Oribasius. Huius enim hic seruantur ἰατρικαὶ Συναγωγαὶ, Synopsis ad Eustathium filium et quatuor libri ad Eunapium. Hos Oribasii libros vt ederem, saepius me rogauit Grunerus, Professor Ienensis, Medicus et Philologus longe Doctissimus. Idem quoque mihi nuper suasit Schneiderus, Professor Francofurtensis, Vir Celeberrimus, quo quondam Lipsiae familiarissime vsus sum. Sed me huc vsque impediuit, quominus consiliis Illorum Virorum vti possem, quod sine versione latina, a Rosario edita, qua careo, in tam corruptis et vitiosis codicibus nihil tentari potest. Accedo iam ad codices manuscriptos, qui literas humaniores spectant. Hic notari debent codices Aeschinis Oratoris, Aeschyli, Arati, Aristidis Rhetoris (*) duo, Athenaei, Demosthenis, Hesiodi, Libanii, Pausaniae, Plutarchi (**), Sophoclis, Strabonis (*,*), Thucydidis nec non Violetum, hoc est, excerpta ex omnis generis scriptoribus antiquis, Arsenii Monembasiae Archiepiscopi, quod vt ederem multoties me iam hortatus est Ruhnkenius, Vir Summus. Homeri quoque codex notabilis est, qui Iliada cum scholiis Porphyrii aliorumque continet, cuius similes reperiuntur Lipsiae (†) et Leidae (††). Sed hic Mosquensis codex variis in locis

est

(*) Vtrumque diligenter recensui in praefatione ad Plutarchi libellum de Superstitione, quem hic Mosquae 1778. in 12. edidi.

(**) De quibus vide praefationem ad libellum de nimia verecundia, quem edidi Mosquae 1777. in 12.

(*,*) Huius variantes lectiones adiicientur editioni nouissimae, quae Oxonii curatur.

(†) Vide epistolam Ernestii ad Gesnerum. Vol. I. pag. V. opp. Homeri.

(††) De hoc codice singularis libellus Valckenarii adiectus est Virgilio a Fuluio Vrsino illustrato. Leouardiae 1747. 8. Codicem Leidensem exscripsit Wassenbergius, Professor Franequeranus, Vir Cel. qui breui post, vt audio, librum I et II. edet.

est mutilus. Odysseae quoque offendi codicem Sec. XII. diligentissime scriptum, quem in futuros vsus contuli cum editione Ernestii, Viri Celeberrimi. Haec de codicibus in vniversum, quae dicerem, habui. Accedo iam ad eam disputationem, quam libentius omisissem, si saluo officio id facere potuissem. Cum enim publice constitutus sim, vt literas humaniores doceam, non potui non inquirere in quorundam opiniones et rumores; qui, si ad aures iuuenum, nondum satis confirmatorum, perueniant, facile eos ab istarum literarum studio, vt inutili prorsus et vano deterrere atque auocare possint. Nam viri docti his sermonibus, in literarum, virorumque doctorum, qui eas tractant, detrimentum excogitatis, sibi persuaderi nunquam sustinebunt. Quidam ergo dixerat, minui codicum manuscriptorum pretium, si aut cum editis compararentur, aut, quae inedita laterent, proferrentur. Nihil hic iam dico, id totum excogitatum fuisse maxime contra me; vt rumor talis apud Viros Illustres, qui vsum codicum mihi concesserant, innocens studium meum infamaret. Nam iam tum, cum primum ista audiebam, praeuidebam, nullum fore istis, qui talia iactarent, ad illos viros aditum, et, si velmaxime aliquando aliquis ad illos irrepsisset, sciebam, Viros Graues et Prudentes istis fabulis nunquam commotum iri. Nihil ergo equidem videbam, quod mihi timendum esset. Sed iam interrogo eos, qui ita sentiunt, quo tandem consilio illos codices ab Alexio Michaelide, Rossorum Imperatore, emtos et collectos putent? Scilicet, ut in bibliothecarum tenebris laterent, vt a tineis et muribus arroderentur, vt in nullius notitiam peruenirent? At Petrus Ille Magnus iussit, vt Schiada eorum numerum iniret et catalogum a se compositum ederet?

 Ideo

Ideo fortasse, vt viri docti in Rossia et extra Rossiam, quae hic seruarentur, scirent, nullum vero vnquam vsum nec ipsi haberent, nec aliis afferrent? Quem vero non pudeat ita inepte de Tantis tamque Sapientibus Imperatoribus sentire? Equidem certe cum alia multa, quae bello et pace praeclare gesta sunt ab Petro Illo Magno, mirer, tum, quod harum etiam rerum inter tot negotia grauissima curam gesserit, nunquam satis mirari potui. Scilicet videbat ille vir acuto ingenio praeditus, si ipse ad has literas viam monstrasset, fore, qui se sequerentur, patriaeque gloriam et laudem istarum rerum studio conciliarent. Nam, vt mirum sane foret, si tales libri omnino nulli hic reperirentur, ita Rossis gloriosissimum haberi debet, quod patrum et maiorum suorum memoria fuerunt, qui eos multa cura diligentia et sumtibus conquirerent et ad futuros vsus servarent. Quid, si codicum pretium vsu minuitur, cur ergo tot reges, tot principes, tot respublicae, tot ciuitates, tot homines priuati codicum suorum vsum ita humaniter, exteris etiam hominibus, ipsisque non nisi doctrinae fama notis, cum laude praebuerunt? Quid, si patrum maiorumque nostrorum aetate homines credidissent, codices suos vsu vilescere, nonne ad hunc vsque diem multis clarissimis careremus scriptoribus? Nonne neglecto ingeniorum cultu barbari haberemur? At vero et tum fuerunt, qui aliter atque incorruptius de literis et vsu codicum sentirent, et ad huc multorum humanitas laudatur, qui viris doctis sine inuidia rarissimos etiam codices commodant. Nam vt olim Aldis, Stephanis, Hoeschelio, Xylandro, Sylburgio, Montefalconio et sexcentis aliis aditus ad bibliothecas patuit; ita his temporibus ex multis ipse audiui viris doctis, quam libenter ad bibliothecas publicas priuatasque

que

que sint scissi. Lipsiae cum essem memini audire ex Griesbachio, Theologo Clarissimo, cum quidem vterque apud Morum, Summum Virum, vna essemus, quam humani in ea re erga se fuerint Angli, ceteraeque gentes, quas ille literarum causa adierat. In eadem vrbe apud Reiskium, immortalis nominis virum, multos multarum bibliothecarum codices graecos vidi, qui ad illum a dominis ex variis regionibus missi essent. Ipse non solum ab illo accepi variantes lectiones ad Isocratem et Dionysium Halicarnassensem ex codice Helmstadiensi, sed commendauit etiam me Neuhausio, Doctori et Bibliothecario, Perillustri ac Doctissimo Viro vt ex bibliotheca Amplissimi Senatus Lipsiensis ad aliquot menses codicem manuscriptum (*) Aphtonii et Hermogenis domi habere et conferre possem. Non est hoc loco Venetorum erga Villoisonum, Virum Celeberrimum, praetereunda humanitas, qui ei nunc vsum codicum bibliothecae D. Marci beneuole concedunt, quorumque beneficio mox debebimus ineditam literarum sacrarum Veteris Testamenti versionem et Homerum, multis clarissimorum interpertum animaduersionibus locupletatum. Hanc humanitatem in suis ad me literis ita praedicat. *J'ai trouvé à Venise dans la bibliothéque S. Marc d'excellents manuscrits Grecs, dont je compte tirer tout le parti possible. Graces à Messieurs les nobles, qui ne cessent de me combler de leur bontés de leurs honnetetés et de leurs attentions, à un point inexprimable. J'ai le plus libre accès dans la bibliothéque S. Marc, et j'y passe tous les matains sept heures*

(*) De hoc codice vide Reiskium Vol. VIII. Oratt. Graecc. pag. 881. 882. Varias lectiones, quas inde notaui, libentissime cuilibet viro docto offeram, si Hermogenem aut Aphthonium edere velit.

heures de suite, malgré le froid, qui y régne. Addo denique verba Reiskii, iustum iudicium de vsu codicum ferentis. Is enim (*) in praefatione ad scholia in Demosthenem sic censet *Distant hinc, qui bibliothecis praesunt, ex eo, quod codices suos viris doctis vsurpandos dent, pretio codicum nihil decedere. Fieri nequit, vt vnus homo, praesertim festinans, omnia cernat et notet. Posteriores, eosdem in codices cum inciderint, plura pauciorave obseruant, a maioribus praeteruisa. Saepe quoque locus dubitationis incidit, vter verum viderit, prior an posterior. Debent igitur eiusmodi membranae a dominis sancte et religiose custodiri, vt supersit arbiter idoneus liti dirimendae.* Certum sit ergo, codices manuscriptos inde, quod viris doctis vtendi permittuntur, nihil damni capere, nihilque ex virtute sua amittere. Audiamus reliqua. Erant enim rursus alii, qui ancipiti me coram vterentur sermone, beneuoli illi quidem aduersus me, vt credo, sed nimis in alienis negotiis curiosi. Hi dolebant miseram conditionem meam, quod quotidie vetustis illis libris, putridis et squalidis a prudentioribus mortalibus dudum abiectis, et tenebris deuotis, occupatus, continuis lectionibus et desidia corpus animumque debilitarem, praesertim cum inde nulla nec ad me, nec ad alios redundaret vtilitas. Qui si id reprehendunt, quod nondum ita, vt volui, prodesse potui, me non admodum a se dissentire putent. Tantum enim abest, ut aliis a me satisfactum esse censeam, vt me mei, quod, quae voto destinaui, assequi nondum potui, poeniteat. Quae enim adhuc in lucem edidi, pro speciminibus potius haberi cupio voluntatis haud prorsus

(*) Vid. Vol. II. Oratt. Graecc. p. 5.

fus alienae a literarum, quas profiteor, studio, non pro perfectis operibus. Sed industria, constantia et patientia forrasse postea consequi potero, quae mihi ad propositum meum adhuc desunt. Sin vtilitatem in lucro et voluptate ponunt, sciant, meos mores ab ipsorum valde discrepare. Multorum enim erga me liberalitate consulto vti nolui. Multa ipse impendi. Mercedem laborum meorum adhuc prorsus detrectaui. Honestioribus enim rationibus moueor, quam spe lucri et pecuniarum. Voluptas autem quae homine ingenuo dignior haberi possit, quam continua et diligenti lectione optimorum auctorum occupari? Honestatem vero si quis spectare velit, quid mihi honestius contingere potuit, quam quod studio meo homo externus et ignotus Viris in Rossia doctrina, honoribus et genere Clarissimis innotui? De vtilitate autem, quae omnino ex libris manuscriptis ad literas pertinet, quia de me plura loqui molestum est, audiant Montefalconium, idoneum harum rerum iudicem, qui plures codices manuscriptos euoluit, tractauit, consuluit et edidit, quam alii sexcenti per totam vitam viderunt. Is ergo in praefatione ad bibliothecam Coislinianam, ita scribit. *Inter ea, quae a viris doctis ad rem litterariam ornandam in dies suscipiuntur officia, nullum vtilius eo, quod expurgandis veterum libris tribuitur. Cum enim quid quid est eruditionis, tum sacrae, tum prophanae, ex antiquis scriptoribus hauriatur, operae pretium faciunt, quotquot illos litterarum fontes puros nitidosque ad nos manare curant. Nemo autem inficias eat, non nisi Manuscriptorum subsidio posse hanc operam cumulate praestari. Dum enim coniecturis tantum res agitur, incertae plerumque pro vitiatis, imo non infrequenter pro incertis lectiones substituuntur. Quamobrem ad veterum Codicum auctoritatem recurrat oportet, qui*

nouam

nouam alicuius scriptoris editionem parat. Id in confesso apud omnes est. Si quis enim aliquem emendare scriptorem aggreditur, manuscriptos Codices vndique perquirit, certum habens non posse alia via rem feliciter peragi: Verum non idem animus iis semper est, qui bibliothecas penes se habent. Nam vt sunt non nulli, qui liberali manu viris doctis, si quos habent manuscriptos Codices, ad novas adornandas editiones suppeditant; ita non pauci reperiuntur, qui huiusmodi libros inutiliter ita comparant, vt ad eos aditum eruditis omnibus intercludant, ac cum magno reipublicae litterariae dispendio, publico vsui subducunt, in quos praeclare conueniunt haec Isidori Pelusiotae ad Simplicium dicta: Idem facis, quod ii, qui frumentum recondunt, ac tineas alunt, Nam libri quoque tinearum patres ac nutricii fiunt, cum vinciuntur. Quare opibus tuis vtere, et eruditionem ne laede: nimirum hic quoque comicos sales tibi colligens, dum librorum corruptor, aut librorum sepulcrum aut tinearum altor appellaris. Restat tertium genus hominum perverse de vsu codicum sentientium, qui non tam reprehendendi, quam docendi sunt. Illi aiunt, scripta veterum ex collatione codicum plus damni, quam emolumenti capere. Multitudine enim lectionum variantium dubios reddi opinantur lectores, vt ignorent, quid ab auctore profectum, quid aliunde illatum sit. Qui si recte rem aestimare velint, reperient, se non tam dissensum codicum lectionumque varietatem, quam imperitiam suam et hebes ingenium accusare, quod vera a falsis dignoscere nequit. Neque vero hoc ab omnibus postulamus, vt arte critica instructi ad legendos et examinandos libros accedant. Modo modesti sint, aliorumque iudicio et doctrina sine inuidia et malignitate vtantur. Sed moderatius et simplicius cum illis agamus. Hoc tamen ante

omnia

omnia scire velim, vtrum priores editiones ex libris scriptis ductae sint, an aliunde? si ex libris scriptis, cur ergo eos vt fallaces repudiant? Deinde secum haec reputent, an omnes scriptores antiqui ex optimis semper expressi sint codicibus, an editorem omnes nacti sint doctum et diligentem, an typothetae nusquam errauerint? Quod quam diu de singulis libris non docuerint; (et vereor profecto, an vnquam de vllo id docere possint:) tamdiu in errore atque dubitatione versabuntur. Eius autem dubitationis vnde quaeso remedia petant, nisi aut ex libris diligentius scriptis, aut ex editionibus correctioribus? Nam hoc quidem scio, neminem ita insipidum esse, vt nullum editionum discrimen faciat, vt sua parum interesse opinetur, vtrum, exempli caussa, Virgilii editione vtatur Minelli, an ad modum Minelli, an Sinceri, an Halensi, nescio, vnde expressa, an, quod pace Doctorum Virorum dixerim, Heinsii, Burmanni, Heynii? Tam, si posteriores editiones probat, ideo nimirum probat, quod multa cura, diligentia, doctrina et acumine ad libros scriptos conformatae atque emendatae sunt. Sed mittamus haec. Faciamus iam haerere aliquem in loco aliquo corrupto et dubio. Quid ergo? Locumne illum prorsus negliget et relinquet? Facillimum id quidem. Sic enim nec doctrinae copia, nec ingenii acumine opus est. Sed attentior et discendi studiosior lector quid facturus est? Ante omnia videbit, verene an falso eiusmodi locus habeatur pro corrupto? Tum, si quid obscuritatis haereat, diligenter examinabit, sit ne ea in rebus, aut verbis, aut inscitia sua? Quod si in vno horum versatur obscuritas, opus est interprete, non libris scriptis. Sin scribae culpa erratum est, quid tum faciet? Ingenio fortasse vtetur et coniecturis? Quis non videt, hoc modo omnia dubia reddi in scriptis veterum et audaciae licentiaeque frenos

D dari?

dari? Quod ergo officium boni et modesti interpretis est? Aut ipse, si facultas datur, meliores libros consulet, aut, quid viri docti ex codicibus attulerint, videbit. Qui si nihil probabilius suppeditent, tum demum coniecturis vtetur, quas, si dubitationis caussam habere possint, nunquam orationi scriptoris, quem interpretandum sumsit, inculcabit, sed modeste, additis rationibus, in notis commemorabit. Sic aliis post eum, si meliores codices nacti sint, istum corruptum locum emendandi erit occasio. Sed quia in eam disputationem incidi, breuiter etiam docendum puto, qui codices boni haberi debeant? Nam vt sunt codices ita pretiosi, vt facile auro aequiparandi sint, praesertim in quibusdam scriptoribus, ita haud exigua codicum copia a tironibus et monachis indoctis scriptorum ad nos peruenit, qui fere prorsus negligendi et abiiciendi sunt. Omnis autem virtus codicis cernitur primum in diligentia scribae, quae facile apparet, si modo attendere velimus, vtrum raro an saepius contra regulas grammaticas et consuetudinem linguae erratum sit, vtrum crebro quaedam omissa, an temere illata sint, vtrum plures paucioresue ineptae aut probabiles reperiantur alterius manus correctiones, vtrum ex vno eoque vitioso exemplari ductus, an ex pluribus et melioribus. Nam et hoc intelligi potest, quod multi codices varietates in marginibus exhibent. Sine diligentia ergo nullus vel vetustissimus codex multum valet. Altera virtus est vetustas. Nam vt quisque codex aetati scriptoris, quem continet, propior est, ita maiorem in edendo auctoritatem et fidem habet. Nam recentiores ex aliis atque aliis exemplaribus temporum consecutione transscripti sunt. Multa ergo a multis, audacibus praesertim et indoctis, potuerunt mutari. Quae mutationes tamen

men (*) pluribus libris conferendis deprehenduntur. Ita in his bibliothecis duo, vt hoc exemplo vtar reperiuntur codices manuſcripti Euthymii Zigabeni. Alter eſt bibliothecae ſanctiſſimi Synodi in folio num. XLIX, Alter bibliothecae typographei ſynodalis in folio num. I. Vterque continet commentarium in quatuor Euangeliſtas necdum graece editum. Vterque ſcriptus eſt in membranis. Vterque aequalis auctori. Seculo enim XII. haud improbabilibus argumentis ſcriptos eſſe intelligitur. Ac illi priori quidem ob praeſtantiam vix pretium ſtatui poſſit. Pauciſſimi enim inſunt errores, eſtque illo altero auctior. Vnum hoc vitium habet, quod in Marco, ſi recte memini, vnum aut duo folia exciderunt. Alter aetate, vt dixi, par eſt. Vetuſtior fortaſſe etiam aliquot annis. Exornatus praeterea imaginibus Chryſoſtomi et Euangeliſtarum. Sed multis ſcatet erroribus orthographicis. In Ioanne etiam multa in media interpretatione, quae tamen ab Euthymio profecta eſſe, orationis aequabilitas et nexus docet, vel fraude ſcribae, vel auaritia locatoris, omiſſa ſunt. Fac iam ex poſteriori codice tres alios expreſſos, ex iſtis quatuor autem, primam ductam eſſe editionem, Iam ſi tres poſteriores ſcribas diligentes et doctos faciamus, vitia, quae in primo codice offenderant, vel ſedulo ad nos propagarunt, vel pro arbitrio, interdum vere, interdum falſo correxerunt. Hic iam non nego, ex iſtis quatuor codicibus per editorem doctum et acutum edi poſſe librum iſtis quatuor multo accuratiorem. Sed ſi codex ille, vnde tres reliqui et prima editio

(*) Huiusmodi vitiis plerumque laborant gloſſaria, lexica et commentaria, in quibus multa poſt auctores a recentioribus ſunt adiecta. Nam in reliquis auctoribus hoc rariſſimum eſt.

ſunt, quae de illa bibliotheca narrantur, putem libros editos fuiſſe Graecos et Latinos, quorum numerus haud exiguus in vtraque bibliotheca ſanctiſſimae Synodi reperitur. Fuerunt quoque huiuſmodi libri in bibliotheca Moſquenſi tabularii imperialis, qui tamen, cum eccleſiaſtici eſſent, nuper ex mandato diuenditi ſunt. Relinquo ergo totam rem in dubio.

Sed iam pietas officiumque meum poſtulat, vt hic palam gratias, quas animus capere poteſt maximas, agam Sanctiſſimae Synodi Sociis Viris Eminentiſſimis atque Illuſtriſſimis quorum humanitati beneficioque aditum ad has bibliothecas debeo. Cum enim hoc erga bonas literas meritum ab exteris iam multoties viriſque doctiſſimis et grauiſſimis ſummis laudibus publicoque praeconio ſit comprobatum et laudatum, a me profecto, cui id potiſſimum tributum eſt beneficium, ſilentio praeteriri nullo modo poteſt. Iuſtum ergo cenſeo hic nominatim cum grati animi mei aduerſus Illuſtriſſimos atque Eminentiſſimos Archiepiſcopos ſignificatione commemorare Gabrielem, Platonem, Innocentium et Samuelem, Summos Eccleſiae Orthodoxae Graeco-Roſſicae Antiſtites, Viros virtute, doctrina, pietate, ſummis erga patriam, eccleſiam et bonas literas meritis Clariſſimos, qui meam literis inſeruiendi voluntatem ſtudiumque beneuolentia, fauore, conſilio, ſtudio et patrocinio adiuvarunt et adiuuant. Det eis Deus proſperam valetudinem, vitam longiſſimam, conſiliorum et factorum ſuorum omnium ſucceſſum feliciſſimum, faxitque, vt patria plures tales viros in dies nanciſcatur, qui eodem ſtudio et ſapientia bonas literas curent, foueant, tueantur, vt Roſſia Imperatricis Auguſtiſſimae conſiliis ſapientiſſimis bellicisque virtutibus longe atque late victrix, literarum, artium diſciplinarumque immortali laude ad ſeros poſteros celebretur.

INDEX

INDEX
CODICVM MANVSCRIPTORVM
GRAECORVM
BIBLIOTHECAE SANCTISSIMAE SYNODI
ECCLESIAE ORTHODOXAE
GRAECO-ROSSICAE.

Seruatur haec bibliotheca Mosquae in arce in domo synodali.

CODICES
in
Folio.

Numerus.	Materia.	Aetas.	ARGVMENTVM.
1.	Charta.	Sec. XV.	a] Alexander Trallianus. b] Rasis de peste
2.	———	Sec. XV.	Andreae Cretensis magnus canon.
3.	———	Sec XV.	Antiochi monachi pandectae.
4.	Membranae.	Sec. X. seu XI.	Praxapostolus.
5.	Charta.	Anni post C. N. 1445.	a] Acta apostolorum. b] Septem epistolae catholicae. c] Quatuordecim epistolae Pauli. d] Variorum patrum orationes. e] Paterici fragmentum.
6.	———	Sec. XVI.	Aristotelis metaphysica cum scholiis Alexandri Aphrodisei et Syriani.
7.	———	Sec. XV.	Aristotelis physicae auditionis libri VIII. cum scholiis Simplicii, in compendium redactis a Georgio Scholario.
8.	———	Sec. XV. seu XVI.	a] Aristotelis magna moralia. b] Ethica ad Nicomachum cum scholiis Eustratii. c] Politica. d] Oeconomica.
9.	Membranae.	1063.	Vitae sanctorum.
10.	Charta.	Sec. XVI.	Arsenii Monembasiae Archiepiscopi violetum.
11.	———	Sec. XV.	Patericum.
12.	———	Sec. XV	Origenis Philocalia.
13.	———	Sec. XVI.	Variorum scripta contra ecclesiam Latinam.
14.	Membranae.	Sec. XI.	Orationes XLII. Basilii Magni.
15.	———	1023.	a] Variorum patrum opuscula. b] Salomonis ecclesiastes.

E 16.

Numerus.	Materia.	Aetas.	ARGVMENTVM.
16.	Membranae.	Sec. XI.	Orationes Basilii M.
17.	———	Sec. XI.	Orationes eiusdem.
18.	———	Sec. XI. seu X.	a] Orationes Basilii M. b] Gregorii Nysseni Capita XXX. c] Vita Theodori Edesseni. d] Theodori Edesseni Capita practica.
19.	Charta.	1475.	Libri non nulli Veteris Testamenti.
20.	Membranae.	Sec. X.	Basilii M. orationes.
21.	———	Sec. XI	Eiusdem orationes.
22.	———	Sec. XI. seu XII.	Eiusdem orationes.
23.	———	Sec. XI.	Eiusdem varii libelli.
24.	Charta.	Sec. XV.	Catena patrum in Iesaiam.
25	Membranae.	Sec. XI.	Catena patrum in Iesaiam.
26.	———	Sec. X. seu XI.	Vitae Sanctorum.
27.	———	Sec. X.	a] Basilii M. ascetica b] Athanasii responsiones. c] Nili capita.
28.	———	Sec. X. seu XI.	Basilii M. ascetica.
29.	———	1086.	Eiusdem ascetica.
30.	Charta.	Sec. XV.	Varii libri Veteris Testamenti.
31. a.	Membranae.	Sec. X.	Varii libri Veteris Testamenti.
31. b.	———	Sec. X.	Chrysostomus in Genesin.
32.	Charta.	Sec. XVII.	Varia theologica minoris momenti.
33	Membranae.	Sec. XII.	a] Collectio canonum. b] Variorum imperatorum novellae. c] Excerpta ex Codice et Institutis.
34	Charta.	Sec. XV.	Collectio canonum cum interpretatione Zonarae.
35.	———	Sec. XVI.	Acta concilii Florentini.
36.	Membranae.	Sec. X.	Dionisii Areopagitae opera.
37.	———	Sec. XI. seu X.	Eiusdem opera.

38.

Numerus.	Materia.	Aetas.	Argumentum.
38.	———	Sec. XII.	Dorothei abbatis ascetica.
39.	———	Sec. XI.	Ephraemi Syri ſcripta.
40.	———	Sec. XI.	Eiuſdem ſcripta.
41.	———	Sec. X. ſeu XI.	a] Vitae Sanctorum. b] Gregorii et Baſilii M. epiſtolae. Ineſt quoque Iuliani Imperatoris vna. c] Alia theologica.
42.	———	Sec. X.	Euangelium.
43.	———	Sec. VIII.	Euangelium.
44.	———	1056.	Euangelium.
45.	———	Sec. XII.	Euangelium.
46.	Charta.	1552.	Ioannis Xiphilini homiliae.
47.	Membranae.	Sec. X.	Euangelium.
48.	———	Sec. XI.	Euangelium.
49.	———	Sec. XII	Euangelium cum commentario Eythymii Zigabeni.
50.	Charta.	Sec. XV.	Eythymii Zigabeni Panoplia dogmatica. *Hactenus pertinet ſectio prima* Notitiae Codd. MSS. *quam edidi Moſquae* 1776. *in Fol.*
51.	Membranae.	Sec. XI. ſeu XII.	Euſebii hiſtoria eccleſiaſtica etc.
52.	Charta.	Sec. XV.	Varia ſcripta Galeni.
53.	Membranae.	Sec. XII.	Gregorii Nazianzeni carmina cum paraphraſi.
54.	———	Sec. XI.	Gregorii Nazianzeni orationes.
55.	———	Sec. XI. ſeu XII.	Eiusdem orationes.
56.	Charta bombycina.	Sec. XV. ſeu XIV.	Eiusdem orationes.
57.	Charta.	1359	Anonymi, Περὶ τῆς ἐκ τοῦ Θεοῦ τῶν κτισμάτων προόδου.
58.	Membranae.	Sec. IX.	Gregorii Nazianzeni orationes.
59.	———	Sec. X. ſeu XI.	Eiusdem orationes.

Numerus.	Materia.	Aetas.	ARGVMENTVM.
60.	Charta.	1329.	Eiusdem orationes.
61.	Membranae.	975.	Eiusdem orationes.
62.	———	Sec. X.	Eiusdem orationes.
63.	———	Sec. X.	Eiusdem orationes.
64.	———	Sec. X.	Eiusdem orationes.
65.	———	Sec. X. seu XI.	Eiusdem orationes.
66.	———	Sec. XI. seu X.	Eiusdem orationes.
67.	Charta.	Sec. XV.	a] Eiusdem orationes. b] Apocalypsis Ioannis cum commentario Andreae Caesariensis.
68.	Charta bombycina.	Sec. XIV.	Gregorii orationes.
69.	Membranae.	Sec. XI. seu X.	a] Eiusdem orationes. b] Vita Eustratii etc.
70.	Charta.	Sec. XV.	Gregorii Palamae orationes.
71.	———	Sec. XVII.	Eiusdem et aliorum scripta quaedam.
72.	Membranae.	Sec. X seu XI.	Gregorii Nysseni orationes.
73.	Charta.	Sec. XVI.	a] Hesiodus. b] Theocritus.
74.	Charta bombycina.	Sec. XIV.	Eustathii commentarius in Homeri Iliada.
75.	Charta.	Sec. XIV.	Homeri Ilias cum scholiis Porphyrii et aliorum.
76.	Membranae.	1006.	Chrysostomi homiliae in Matthaeum.
77.	———	Sec. XI.	Eiusdem orationes in eundem.
78.	———	Sec. XI.	Eiusdem orationes in eundem.
79.	———	Sec. X.	Eiusdem orationes in eundem.
80.	———	Sec. XI.	Eiusdem orationes in eundem.
81.	———	Sec. XI.	Eiusdem in Ioannem.
82.	———	Sec. X.	Eiusdem in Matthaeum.
83.	———	Sec. X.	Eiusdem in eundem.

Numerus.	Materia.	Aetas.	ARGVMENTVM.
84.	———	Sec. X. ſeu XI.	Eiusdem in eundem.
85.	———	Sec. XI.	Eiusdem in eundem.
86.	———	Sec. XI.	Eiusdem in eundem.
87.	Charta.	Sec. XV.	Eiusdem in Ioannem.
88.	———	Sec. XV.	Eiusdem in eundem.
89.	Membranae.	Sec. X.	Eiusdem in eundem.
90.	———	Sec. XI. ſeu X.	Eiusdem in Matthaeum.
91.	———	Sec. XI.	Eiusdem in Ioannem.
92.	———	Sec. X.	Eiusdem in eundem.
93.	———	Sec. X.	Eiusdem in eundem.
94.	———	Sec. X. ſeu XI.	Euangelium Ioannis.
95.	———	Sec. X.	Chryſoſtomi homiliae in Ioannem.
96.	———	Sec. XI. ſeu XII.	Eiusdem in eundem.
97.	———	917.	Eiusdem homiliae in epiſtolam ad Romanos.
98.	———	Sec. IX.	Epiſtolae catholicae et Pauli cum ſcholiis.
99.	———	Sec. X. ſeu XI.	Pauli epiſtolae cum ſcholiis.
100.	———	Sec. X.	Chryſoſtomi homiliae in epiſtolam ad Romanos.
101.	———	993.	Eiusdem in epiſtolam ad Hebraeos et Coloſſenſes.
102.	———	Sec. XI.	Eiusdem in poſteriorem epiſtolam ad Corinthios.
103.	———	Sec. X. ſeu XI.	Eiusdem eaedem homiliae.
104.	———	Sec. X.	Eiusdem in priorem epiſtolam ad Corinthios.
105.	———	990.	Eiusdem eaedem homiliae.
106.	———	Sec. XI.	Eiusdem in epiſtolas ad Philippenſes et Hebraeos.

Numerus.	Materia.	Aetas.	Argumentum.
107.	———	Sec. XI.	Eiusdem in epiſtolam ad Hebraeos.
108.	———	Sec. X.	Eiusdem in epiſtolas ad Epheſios, Philippenſes et Philemonem.
109.	———	Sec. IX. ſeu X.	Eiusdem in I. et II. epiſtolam ad Timotheum, Philemonem et I. et II. ad Theſſalonicenſes.
110.	———	Sec. XII. ſeu XI.	Eiusdem variae homiliae.
111.	———	Sec. IX.	Eiusdem variae homiliae.
112.	———	Sec. X.	Eiusdem variae homiliae.
113.	———	Sec. XII. ſeu XI.	Eiusdem variae homiliae.
114.	———	Sec. XII. ſeu XI.	Eiusdem variae homiliae.
115.	———	Sec. XI. ſeu XII.	Chryſoſtomus in Ieſaiam, Ieremiam et Iobum nec non eiusdem variae epiſtolae.
116.	———	Sec. X.	Eiusdem homiliae in Geneſin.
117.	———	Sec. X. ſeu XI.	Eiusdem in Geneſin.
118.	———	Sec. X.	Eclogae ex homiliis Chryſoſtomi
119.	———	Sec. XI.	Chryſoſtomi variae orationes.
120.	———	Sec. X.	Eiusdem in Geneſin.
121.	———	Sec. X.	Eiusdem in eandem.
122.	———	Sec. X. ſeu XI.	Eiusdem in eandem.
123.	———	Sec. X.	Chryſoſtomi homiliae in Matthaeum.
124.	———	Sec. X.	Eiusdem in Geneſin.
125.	———	Sec. X.	a] Eiusdem varia opuſcula. b] Danielis viſiones quaedam. c] Vitae ſanctorum. d] Dorothei varia. e] Variorum orationes.
126.	———	Sec. X. et XIII. ſ. XII.	a] Chryſoſtomi homiliae in Ioannem. b] Baſilii M. orationes.

127.

Numerus.	Materia.	Aetas.	Argumentum.
127.	———	Diversis temporibus scriptus.	Chrysostomus in Genesin.
128.	———	Sec. X.	Eiusdem variae orationes.
129.	———	Sec. IX.	Eiusdem variae orationes.
130.	———	Sec. XII. seu XI.	Eiusdem et aliorum orationes.
131.	———	Sec. X.	Eclogae ex orationibus eiusdem.
132.	———	Sec. X.	Vitae sanctorum.
133.	———	Sec. XI.	Eclogae ex orationibus Chrysostomi.
134.	———	Sec. XI.	Chrysostomus de sacerdotio et alia eiusdem opuscula.
135.	———	Sec. XI. seu X.	Eiusdem variae orationes.
136.	———	Sec. XII. seu XI.	Eiusdem et Basilii M. aliquot orationes.
137.	Charta.	Sec. XIV.	Eiusdem variae orationes.
138.	Membranae.	Sec. X.	Eiusdem et aliorum interpretationes Euangelii Matthaei et Ioannis.
139.	———	Sec. XII. seu XIII.	Scholia variorum in quatuor Euangelistas.
140.	Charta.	Sec. XVI.	Chrysostomi homiliae in Genesin.
141.	Membranae.	Sec. XI.	Vitae sanctorum.
142.	———	Sec. XII. seu XI.	a] Ioannis Damasceni capita philosophica. b] Eiusdem expositio orthodoxa.
143.	Charta.	Sec. XV. seu XVI.	a] Eiusdem iidem libri. b] Theodori Prodromi expositio canonum.
144.	———	Sec. XV.	Ioannis Cantacuzeni liber contra Prochorum Cydoniensem.
145.	Membranae.	Sec. XII.	Ioannis Climaci scala.
146.	———	899.	a] Ioannis Climaci. b] Marci Monachi et c] Diadochi scripta.
147.	———	12[illegible].	a] Ioannis Climaci scala. b] Ephraemi Syri quaedam.

c]

Numerus.	Materia.	Aetas.	ARGVMENTVM.
			c] Chrysostomi interpretatio τῦ Πάτερ ἡμῶν.
148.	———	Sec. XIII. seu XII.	Veteris Testamenti quaedam cum scholiis.
149.	Charta.	Sec. XV.	Varia theologica minoris momenti
150.	Membranae.	Sec. XIV.	Collectio canonum.
151.	Charta.	Sec. XVII.	Collectio canonum.
152.	Membranae.	Sec. XII. seu XI.	Maximi varia opuscula.
153.	Charta.	Sec. XVI.	a] Athenaei Dipnosophistica. b] Demosthenis Olynthiaca secunda. c] Diogenes Laërtii quaedam
154.	Membranae.	Sec. XII.	Menaeum mensis Februarii.
155.	———	Sec. XI.	Vitae sanctorum.
156.	———	Sec. XI.	Vitae sanctorum.
157.	———	Sec. XII.	Vitae sanctorum.
158.	———	Sec. XI.	Vitae sanctorum.
